

ff. de Adulteriis, ibi: *Pœna adulterii configitur*, text. in §. *Si publico*, *eiusdem legis*, text. in leg. *Mariti*, §. *Plectitur*, *eodem tit.* text. in leg. *Casarii*, *Cod. de Adulteriis*, text. in leg. *de Crimine*, vers. *fin. eodem tit.* text. in leg. *Mercalem*, *Cod. de Condition. ob turpem causam*, text. in leg. *Isti quidem*, *ff. Quod metus caus.* text. *melior ceteris in leg. Auxilium*, §. *in Delictis*, vers. *Dixi*, *ff. de minori*. Hodie tamen videtur quod ista pœna non possit habere locum: nam cum de jure Regio pœna adulterii sit quod uterque tam adulter, quam adultera ponatur in potestatem mariti, ut de eis & ejus bonis faciat quicquid velit, ista pœna non potest in nostro casu verificari, cum non reperiatur offensus in cujus facultate ponatur, & ideo forte in nostro Regno solet praticari quod tam marito, quam uxori imponatur pœna flagellorum. Sed certe illa pœna est irridenda pro tali nefando crimine: unde teneo quod isto casu debeat imponi pœna mortis.

Primo, quia ista erat pœna adulterii de jure communi: ut in leg. *Quamvis*, la. 2. in *fin. Cod. de Adulteriis*, & late dixi supra. Secundo, quia pro hoc est casus expressus in leg. 2. in *fin. tit. 22. part. 7.* quæ aperte dicit quod isto casu imponatur marito pœna mortis, & per eam ita tenet Palac. Rubeus, ubi exclamat de isto delicto, & de iudicibus qui illam legem non servant in practica, in *sua Repetitione*, fol. 95. col. 3. vers. *Sed si tanta est notorietas*, §. 21. Si verò alius commisit istud crimen, sive masculus, sive femina contra aliquam mulierem conjugatam, virginem, viduam, religiosam, vel honestam: similiter punitur pœna mortis; ita probat text. in leg. *Qui domum*, *ff. de Adulteriis*: text. in leg. *Mariti*, §. *Plectitur*, *eodem tit.* cujus verba sunt: *Plectitur, & qui pretium pro comperto stupro acceperit: nec interest utrum maritus sit qui acceperit, an alius quilibet: quicumque enim ob conscientiam stupri acciperit aliquid, pœna erit plectendus: textus expressior & melior ceteris in Authent. de Lenonibus*, §. *Praconizamus*, ibi: *Omnia novissima sustinere supplicia, collatione 3.* & ibi notant communiter DD. & idem disponit *prædict. lex partit. in fin.*

74 Quod tamen limita & intellige quando adulterium vel stuprum fuit sequutum & consummatum: secus verò aliàs: quia tunc mitius puniretur, & sic pœna arbitraria: ita probat textus valde notabilis, in leg. 1. §. *final.* *ff. de Extraordinariis criminibus*, cujus verba sunt: *Aut mulierem puellamve interpellaverit, quidve impudicitia gratia fecerit, domum præbuerit, pretiumve quo is persuaderet, dederit, perfecto flagitio punitur capite, imperfecti, in insulam deportatur, & idem probat lex 7. tit. 10. lib. 4.*

Foro legum; si verò hoc delictum committatur contra aliam mulierem non conjugatam nec honestam, tunc imponeretur pœna arbitraria, modo sequatur & consummetur delictum, modo non: argumento prædictorum jurium. Item adde quod etiam ille, qui misit prædictam lenonem vel intercessorem alicui honestæ mulieri, committit crimen injuriarum, licet delictum attentatum non sequatur, & punitur extra ordinem iudicis arbitrio: argumento text. in *dist. leg. 1. §. finali*, *ff. de extraordin. criminib.* text. in leg. 1. §. *Omnes*, *ff. de Injur.* text. in leg. *Sed est questionis*, §. *fin. eodem tit.* text. in leg. *Attentari*, *eodem tit.* text. in leg. *Item apud labeonem*, §. *Si quis virgines*, *eodem tit.* text. in §. *Injuriar. in fin. Institut.* *eodem tit.* text. in leg. 5. tit. 9. *part. 7.*

¶ Nota igitur pœnam lenocinii contra committentem vel inducentem mulierem nuptam, ut adulterium committat: nam si adulterium fuerit perpetratum perfectè & consummatè, punitur pœna mortis, sin minus pœna arbitraria ponitur: de consuetudine tamen hujus Regni lenones, vel lenæ, flagellantur cum mitra, ut tradit *Avend. in cap. Prætorum, part. 2. cap. 16. n. 15. Jul. Clar. in Practica Criminali*, §. *fin. quæst. 68. num. 23.* ¶

75 Postremò & finaliter quæro: Si mulier conjugata habet filium ex adulterio, de quo ipsa est bene certa, maritus autem hoc ignorat & tractat eum ut filium, & ei intendit bona sua relinquere prout patris est officium, quid faciet talis mulier in conscientia? In quo articulo breviter & resolutivè dico, quod in casu dubio quando mulier adultera hoc non potest cognoscere, quia constante matrimonio promiscuè & sine maximo intervallo habuit accessum cum marito & cum adultero, filius natus præsumitur esse mariti, & non alterius: unde tam in conscientia, quam in iustitia mulier est secura, argumento textus in leg. *Miles*, §. *Defuncto*, in *fin. ff. de Adulter.* ubi expressè habetur, quod filius natus constante matrimonio ex muliere conjugata præsumitur esse legitimus: dato casu quod probetur illo tempore esse adultera, cujus verba sunt: *Cum possit & illa adultera esse, & impubes defunctum patrem habuisse, & ad hoc notat & commendat ibi Angel. de Perus. & alii DD. & illum textum ad hoc reputat singularem & unicum idem Angel. in leg. Septimo mense*, *ff. de Statu hominum*, reputat etiam singularem & unicum Bald. in leg. *Si matre*, col. 1. num. 2. *Cod. de Suis & legitim. hered.* notat. etiam & commendat idem Bald. in leg. *Filium defunimus*, *lectione 1. col. 2. in fin. ff. de His qui sunt sui vel alieni jur.* idem Bald. in leg. *Si vicinis*, *Cod. de Nupt.* idem Bald. in *Rubric. Cod. de Probat. col. fin.* idem Bald. in leg. 2. *Cod. de Commun. servo*

manumis. idem Bald. in leg. 1. *Cod. Qui accusat. non possunt*, col. 11. num. 52. Paul. de Caltr. in leg. 3. *ff. de Liber. & posthum.* col. 2. num. 3. Abbas Panorm. in *cap. penultim. col. 2. num. 7. de Adulter.* & ibi Bald. & communiter alii DD. idem Abbas in *cap. Per tuas*, col. 1. in *fin. de Probat.* idem Abbas in *cap. Transmissa*, col. 2. num. 9. *Qui filii sint legitimi*. Hippolyt. de Marsil. in leg. 1. §. *Ad quæst. penultim. col. 1. num. 20. de Quæstion.* Palac. Rubeus in *sua Repetitione, cap. Per vestras*, de *Donation. inter virum & uxorem*, fol. 35. col. 2. num. 12. Pro qua sententia & conclusione facit text. notabilis in leg. 9. tit. 14. *part. 3.* Si verò talis mulier bene est certa, quod filius est natus ex adulterio, tunc si potest sine periculo hoc filio revelare, faciat, & inducat eum, ut ingrediatur Ordinem Fratrum Mendicantium, & ibi profiteatur, ut marito non possit succedere, vel si remaneat in sæculo, quod repudiet hæreditatem: si verò non audeat hoc revelare, vel dato quod fecit, nec potuit eum ad hoc inducere, tunc si haberet bona, ex quibus satisfacere possit, debet tantum dare & restituere aliis filiis vel hæredibus abintestato, vel eis, quibus verisimiliter sciret, quod relinqueret, si illum filium putativum non haberet: & si id verisimiliter non posset scire nec cognoscere, illud det & restituat pauperibus pro eo, à quo bona illa sunt ablata: si verò non audeat hoc revelare propter periculum homicidii, nec habet bona, ex quibus satisfacere possit, tunc conteratur & poeniteat, & erit secura in conscientia, cum aliud facere non potest: nam cum ex una parte sit damnum bonorum, ex alia grave periculum personæ, debet eligere minus damnum, argumento text. in *cap. Nervi*, & *cap. Duo*, *distinctio 13. cum similibus*. Et in expresso istam sententiam, & resolutionem probat textus in genere, in *cap. officii, de Poenit. & remiss.* ubi textus loquitur in isto casu, & dicit quod mulieri debet injungi competens satisfactio per discretum Sacerdotem: & argumento illius textus, & aliorum jurium tenet & declarat ibi Innocent. Hostiens. Joan. Andr. Anton. de Butric. Abbas Panorm. Cardinal. Ancharan. Collectar. & communiter DD. Ancharan. notat in *Regula possessor mala fidei, de Regul. jur. col. 13. num. 22.* Summa Sylvestrina in *parte Adulterium, quæst. 1.* Summa Angel. in *parte Adulterium, quæst. 4.* & istam quæstionem movet Bartol. in leg. *Filium eum defunimus*, de *His qui sunt sui vel alieni juris*, in *fin.* & dicit quod contigit in quadam Regina.

Anton. Gomez. de legem Taur.

TEXT. LXXXIII.

Quando se probare, que algun testigo depuso falsamente contra alguna persona, ó personas en alguna cosa criminal, en la qual si no se averiguase su dicho ser falso, aquel, ó aquellos contra quien depuso, merecia pena de muerte, ó otra pena corporal; que al testigo, averiguandose como fue falso, le sea dada la misma pena en su persona, y bienes, como se le debiera dar á aquel, ó á aquellos contra quien depuso, seyendo su dicho verdadero, caso que en aquellos contra quienes depuso no se execute la tal pena, pues por él no quedó de darsela. Lo qual mandamos que se guarde, y execute en todos los delitos, de qualquier calidad que sean: en las otras cosas criminales, y civiles mandamos, que contra los testigos que depusieren falsamente, se guarden, y executen las leyes de nuestros Reynos, que sobre ello disponen.

Id est:

Cum probatum fuerit, testem aliquem falso deposuisse adversus aliquem aut aliquos in causa criminali, in qua nisi cerit apparuisset depositionem illius esse falsam, ille aut illi, adversus quos deposuit, merebantur mortis poenam, aut aliam corporalem punitionem, testi falso manifestè deprehenso irrogetur eadem pœna in persona & bonis, qua ab ipso delatis, depositione ipsius vera existente, irrogari debuisset, quamvis in illos, adversus quos deposuit, ejusmodi pœna non fuerit irrogata quando quidem per ipsum non stetit quin in illos ipse irrogaret. Quod præcipimus, ut servetur & fiat in omnibus delictis cujuscumque qualitatibus. In aliis causis tum criminalibus, tum civilibus præcipimus, ut contra testes, qui deposuerunt, serventur & impleantur leges nostrorum Regnorum ea de re disponentes.

COMMENTARIUM

In Legem LXXXIII.

finalis.

SUMMARIUM.

1. Falsitas est delictum publicum quod committitur, quando quis scienter, & dolose mutuat substantiam veritatis in præjudicium alterius.
2. Quando & quibus casibus committitur falsitas,

PPP 3.

Et qua sit pena eius?

- 3 Qua sit pena fabricantis falsam monetam?
- 4 Si quis fabricavit falsam monetam, seu totonderit, vel raserit, vel diminuerit, qua pena puniatur?
- 5 Expendens falsam monetam, licet non fecerit eam, qua pena puniatur?
- 6 Qua sit pena ejus qui fabricavit scripturam falsam?
- 7 Testis qui falsum testimonium dixerit in causa civili, vel criminali, qua pena puniatur?
- 8 Ille qui dixit falsum testimonium contra alium in causa heresis, qua pena puniatur?
- 9 Testis qui dixerit falsum testimonium in causa adulterii, qualiter puniatur?
- 10 Judex qui dolo, presio, vel malitia, injuste aliquem condemnavit, qualiter puniatur?
- 11 Quando quis dolose mutat sibi nomen in praedictum alterius, qualiter puniatur?
- 12 Quando quis mensuras publice signatas, mutaverit, vel corruerit, qua pena puniatur?
- 13 Regulariter qua sit pena falsi?
- 14 An in hoc delicto falsitatis admittatur appellatio?
- 15 Si judex, tabellio, vel testis dicat, & affirmet se fecisse falsitatem, an talis confessio probet in praedictum tertii, quando non fuit facta in plenario judicio?
- 16 Insignia Doctoralia & eorum significatio.
- 17 Duodecim privilegia Doctoratus.
- 18 Doctor qui per viginti annos legerit, efficitur jubilatus, & illustris, sicut ille qui clarissimo sanguine fuerit natus.

Nota dispositionem hujus legis, pro cujus perfecta intelligentia, & declaratione dico, quod falsitas est delictum publicum quod committitur, quando quis scienter & dolose mutat substantiam veritatis in praedictum alterius: textus est in leg. *Quid sit falsum, & quasi per totum, ff. ad legem Corneliam, de Falsis, text. in leg. 1. & per totum, Cod. eodem titul. text. in Authent. de Instrumentorum cautela & fide, vers. 1. collat. 6.* cujus verba sunt: *Nihil est aliud falsitas nisi veritatis mutatio, text. in leg. 1. & per tot. titul. 7. part. 7.* Circa quod duo principaliter sunt videnda. Primum est, quando, & quibus casibus, committatur falsitas. Secundum est, qua sit pena eius?

Quoad primum dico quod primo committitur falsitas quando quis fabricat falsam monetam Regis, vel Principis non recognoscentis superiores. Quo casu propter gravitatem criminis alteratur, & aggravatur pena: quia de jure antiquo forum, liber homo damnabatur ad bestias, servus vero puniebatur pena mortis: textus est in leg. *Quicumque, ff.*

ad legem Corneliam, de Falsis, cujus verba sunt: Quicumque nummos aureos partim raserint, partim tinxerint, vel sinxerint, si quidem liberi sunt, ad bestias dari: si servi, supremo supplicio affici debent. Hodiè tamen de jure novo Codicis, modo reus delinquens sit liber, modo servus, punitur pena mortis ignis & publice concrematur, & omnia bona ejus confiscantur: & hoc casu dicitur committere crimen laesae Majestatis: textus est formalis & expressus, qui quotidie practicitur in leg. 2. *Cod. de Falsa moneta.* Item etiam eadem pena puniuntur socii, qui scienter praestiterunt favorem, auxilium, vel consilium principalibus delinquentibus. Item etiam eadem pena puniuntur qui domum propriam, vel fundum ad hoc delictum committendum praestiterunt. Item etiam si domus, vel fundus in qua talis moneta falsa fabricatur sit aliena, confiscatur, etiamsi dominus ejus sit ignorans, dum tamen sit prope ipsam domum vel locum ubi fit & non valde longè, ubi verisimiliter potuit ignorare & non providere, dum tamen sit masculus & major aetate 14. annor. secus vero si talis domus, fundus, vel locus sit alicujus mulieris viduae, vel minoris: quia tunc non confiscatur, textus est in leg. 1. *Cod. de Falsa moneta, & idem expressè disponit lex penultim. & final. tit. 7. part. 7. & lex 7. tit. 12. lib. 4. For. leges.*

Item adde quod ille qui non fabricavit falsam monetam, sed tantum totonderit, raserit, vel diminuerit monetam in aliqua, mediante aliquo artificio, de jure antiquo puniebatur eadem pena, scilicet, damnationis ad bestias: textus est in dict. leg. *Quicumque, ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, ex quo videtur quod hodiè puniatur pena mortis, & concremationis, argumento textus in dict. leg. 2. Cod. de Falsa moneta;* sed teneas contrarium, imò quod talis condens, radens, vel diminuens monetam non puniatur pena mortis & concremationis, sed tantum pena damnationis ad bestias: & cum illa non sit in uso, erit ad Galeras, vel arbitraria: nec illa pena corrigitur isto casu, quia textus in dict. leg. 2. *Cod. de Falsa moneta, solum loquitur in Fabricante, in quo consideratur majus delictum: unde illa lex & ejus pena tamquam odiosa non est extendenda: & in expresso ita tenet Bartol. in dict. leg. Quicumque, ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, Glossa ordinaria & ibi Cynus, Salycet. & communiter DD. in dict. leg. 2. Cod. de Falsa moneta. Glossa etiam ordinaria, & communiter DD. in cap. 4. de Jurejur. Hippolyt. in leg. Qui falsam, ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, num. 99. & idem disponit lex penult. tit. 7. part. 7.* Hodiè tamen videtur quod debeat imponi pena mortis & confiscationis bonorum, per pragmaticam hu-

hujus Regni, fol. 112. lib. Pragmaticarum: qua ad litteram disponit, quod si quis fecerit, totonderit, raserit, vel diminuerit monetam teneatur pena mortis & confiscationis bonorum: nec obstat si dicas quod illa pragmatica loquitur in illa moneta aurea, vel argentea qua ibi noviter inducitur, & mandatur fieri: quia eadem ratione extenditur ad aliam quamlibet monetam qua postea fiat: & istud est quod sentio.

Item adde quod expendens falsam monetam punitur eadem pena, licet non fecerit: ita probat textus in leg. *Cornelia, vers. eadem leg. ff. ad legem Corneliam, de Falsis, cujus verba sunt: Eadem lege exprimitur, nequis nummos stanneos, plumbeos, emere, vendere, dolo malo vellet, & ibi notat Bartol. & communiter DD. Confirmatur, quia ille qui utitur instrumento falso, punitur sicut ille qui fecit, textus est in leg. 2. Cod. de Fide instrument. text. in leg. Si falsos, Cod. ad leg. Corneliam, de Falsis, & in expresso ita tenet Angel. de Maleficiis in part. Falsar. col. 2. vers. Quero, & ibi ejus Addicionator: tenent etiam DD. praecipue Anania in cap. ad Falsarium, de Crimine falsi. Hippolyt. de Marsil. in leg. Qui falsam monetam, ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, num. 64. quod tamen intellige quando scienter expendit praedictam monetam: non vero aliàs: ita probant praedicta jura, & determinant praedict. DD. ubi supra. Unum tamen est quod ille qui habet & possidet praedictam monetam excusatur si doceat: & ostendat illum a quo eam habuit, licet contra possidentem sit aliqua suspicio: ita probat textus in leg. *Majorem, Cod. ad leg. Corneliam, de Falsis, per quem ita tenet Cyn. Jacob. Butricar. Angel. de Perus. & communiter DD. ibi: Abbas & alii DD. in cap. 4. de Jurejurand. Anania & communiter DD. in cap. ad Falsarium, de Crimine falsitatis. Hippolyt. de Marsil. in dict. leg. Qui falsam monetam, ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, col. 11. num. 97.**

Secundo committit quis falsitatem quando fecit, vel scripsit scripturam falsam, vel quando aliquam partem ejus delevit: textus est in leg. 1. §. *Qui rationibus, ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, text. in leg. Paulus, eodem tit. cum pluribus aliis ejusdem tituli, text. in leg. Si falsos codicillos, in leg. Qui veluti, eodem tit. cum similibus.* Quod intellige quando talis scriptura aliquam fidem plenam, vel semiplenam, vel indicium faciebat: secus si nullam: ita Bartol. in dict. leg. *Qui rationibus, & ibi DD. & tenet Glossa ordinaria, & communiter DD. in leg. Domus; & hoc casu si talem falsitatem commisit in aliqua scriptura Regis, vel Papae, punitur pena mortis: si vero falsitatem commisit in alia scriptura, tunc si est tabellio debet amputari sibi manus dextera, &*

amittit officium, cum remaneat infamis: si vero sit alia privata persona, incurrit poenam falsi regularem & ordinariam, qua est deportatio, & omnium bonorum publicatio, de qua latius & generaliter infra dicemus: text. est in leg. 6. tit. 7. part. 7. text. in leg. fin. tit. 19. part. 3. text. in leg. 1. tit. 12. lib. 4. *Foro legum, & attende quod hoc casu non videtur imponi in aliqua pena confiscationis bonorum: & confirmari potest ista pena de jure communi per textum in Authent. de Mandatis Principum, §. Coges, collat. 3. ubi exactor publicus pecuniae, si scribit se minus accepisse quam accepit, punitur hac pena amputationis manus. Item etiam confirmatur ex antiqua lege in Lombardia, qua dicebat manam incidendam tabellioni conficienti falsum instrumentum: de qua meminit Glossa in Authent. Sed novo jure, Cod. de Servis fugit. Item adde quod etiam ille qui utitur instrumento falso committit crimen falsi: textus est in leg. 2. Cod. de Fide instrumentor. in hoc tamen est maxima differentia, quod ille qui fabricavit instrumentum falsum, indistinctè tenetur poena falsi, licet non utatur eo: vel si utatur & desistat, tamen ille, qui non fecit nec fabricavit, sed tantum usus est eo in judicio, si desistat ante sententiam definitivam, excusatur: textus est singularis in leg. *Si falsos codicillos, Cod. ad leg. Corneliam, de falsis: & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. ille tamen qui semel destitit ab illo instrumento quod arguebatur falsum, non potest amplius eo uti, etiam in alio judicio: textus est singularis & unicus in leg. 3. Cod. de Fide instrumentor. & ibi reputat singularem & unicum Bald. & alii DD.**

Tertio committit quis falsitatem, quando productus in testem in aliqua causa civili, vel criminali, dixit testimonium falsum: textus est in leg. 1. ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, text. in leg. *Cornelia, §. Pena legis Cornelia, eodem tit. text. in leg. Eos, eodem tit. quo casu si dixit falsum testimonium in causa criminali & capitali contra innocentem, punitur pena mortis, vel eadem poena qua reus teneretur, si contra eum verè probaretur delictum: textus est in leg. 1. §. Præterea, ff. ad leg. Corneliam, de Sicar. ibi: Quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur, & ibi ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria, Bartol. Angel. Hippolyt. & communiter DD. & reputat ibi mirabilem Alberic. & illum textum ad hoc reputat singularem Bald. in cap. 1. §. Injuria, col. fin. & quasi. de Pace juramento firmando in usibus feudorum, idem Bald. in leg. Presbyter, col. 2. num. 10. de Episcopis, & Clericis, idem Bald. in leg. Jursurandi, col. 2. Cod. de Rebus creditis, idem Bald. in leg. Data opera, col. 6. num.*

num. 28. *Cod. Qui accus. non poss.* Joani. de Ana in cap. 1. de Crimine falsi, col. 3. in fin. & idem disponit *lex 26. tit. 11. part. 3.* Confirmatur etiam, quia accusator calumniosus punitur similitudine supplicii: textus est in *leg. Libellorum, in fin. ff. de Accus. text. in leg. Si cui, eodem tit. cum similibus, text. in leg. 2. Cod. de His qui latrones, per quem dicit ibi Bald. in fine, quod ille qui facit aliquem capi, qui postea reperitur innocens, debet puniri similitudine supplicii: & per hoc fuit quidam decapitatus in Civitate Perusii. Sed attende, salva ejus pace, quod cum hodie poena talionis non sit in usu ejus sententia non posset procedere, sed teneretur poena extraordinaria: Dubium tamen erat de jure communi, an ista sententia & conclusio procederet eo casu quo ille contra quem dictum fuit testimonium non fuit condemnatus: quia ante sententiam apparuit de falsitate? Et videtur quod non: sed tantum eo casu quo est sequuta mors vel poena corporalis. Primum, quia ut dixi, hodie poena talionis non est in usu. Secundum, quia hoc probat praedicta lex partita, quae loquitur eo casu quo poena est mandata executioni. Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod utroque casu teneatur poena mortis, vel simili poena corporali: qua reus teneretur, si contra eum verè probaretur delictum: & in expresso ita probat textus in *dict. §. Praterè, probat etiam textus notabilis in cap. Satis, in fin. 33. quaest. 5.* quem ad hoc notant & commendat ibi DD. illum etiam ad hoc commendat Felin. in cap. *Sicut de testibus, col. 2. num. 2.* & istud est quod expressè voluit & disposuit ista nostra lex finalis Tauri: & ista est ejus principalis decisio.*

8 Quæro tamen circa hoc: Si fortè testis falsum testimonium dixit contra alium in causa hæresis, utrum possit poenitere sicut reus poterat, licet contra eum probaretur delictum? Et breviter dico quod non: quia talis testis falsus non tenetur de hæresi, sed de crimine falsi, in quo non habet locum poenitentia: & in expresso ita tenet Jacob. de Aretin. in *leg. fin. Cod. de Accusationibus, & ibi Cyn. col. 1. vers. 3. Quaritur, Alber. col. 2. vers. Sed quid si aliquis, Bald. col. 1. num. 3. Angel. de Perus. in fin. num. 3.* & per consequens teneretur eadem poena qua reus teneretur si delictum hæresis probaretur: & certè esset justissima poena, licet aliquando soleat practicari contrarium: imò quod levior & arbitraria poena imponatur.

Item etiam quæro: Si testis dixit falsum testimonium in causa adulterii contra aliquos, & probetur falsitas, quæ poena talis testis puniatur? Et videtur quod poena mortis: quia eam potest maritus imponere ipsis adulteris, cum per leges

nostras Regias possit maritus adulteros interficere. Ex adverso tamen videtur quod talis testis non teneatur poena mortis: quia illa non est practica, certa, nec determinata per nostras leges Regias in causa adulterii: sed tantum est poena arbitraria posita in voluntate & facultate mariti, cum ambo, hoc est adulter, & adultera tradantur marito, ut de eis & bonis eorum faciat quicquid velit: unde videtur, quod hoc casu talis testis falsus puniatur poena arbitraria, sicut de jure communi, & certè quæstio est dubia, nova, & singularis: in qua primò videtur quod talis testis teneatur poena juris communis: vel aliter & secundò videtur quod talis testis ponatur in potestatem eorum, contra quos testimonium tulit super adulterio. Vel aliter, & tertio dico quod videtur quod talis testis teneatur poena mortis: quia ad talem poenam se extendebat poena, & delictum adulterii super quo deposuit, & jam iste casus contigit de facto in Cancellar. Regia de Valladolid: & quæstio fuit valde dubia, & fuit diversitas & discordia inter ipsos judices, & processus fuit ad alios remissus, & finaliter fuit imposita poena mortis: & certè ista poena, & opinio videtur mihi justa, & tenenda.

Item adde quod sicut testis deponens falsum testimonium in causa criminali punitur poena mortis, vel eadem qua ipse reus delinquens puniretur si contra eum probaretur delictum, ut supra proximè dixi, & disponit nostra lex finalis Tauri: ita eodem modo judex qui dolo, pretio, vel malitia injustè aliquem condemnavit in causa criminali, tenetur poena mortis, vel eadem qua ipse condemnatus afficiebatur: textus est singularis & unicus in *leg. lex Julia. §. fin. ff. ad leg. Juliam repetend. quem ad hoc reputat singularem & unicum Bald. in leg. Presbyteri, la 1. Cod. de Episcop. & Cleric. col. 2. num. 10.* licet littera ejus sit corrupta in allegat. illum etiam dicit mirabilem Bald. in *leg. unica, Cod. Ex delictis defunctorum, penult. col.* facit etiam textus in *leg. 1. & per totum, ff. Quod quisque juris: per quem ita tenet Bald. in Rubric. Cod. de Poena Judicis qui male judicavit; & idem disponit *lex notabilis, part. 24. tit. 22. part. 3. & leg. 4. in fin. tit. 30. part. 7.**

Si verò dixit falsum testimonium in causa criminali, non tamen capitali, tenetur poena ordinaria falsi, de qua inferius dicam: si verò dixit falsum testimonium in causa civili, indistinctè tenetur poena ordinaria falsi, & tenetur parti ad totale interesse: ita dicunt & probant praedicta jura superiora: & probat etiam praedicta lex partita. Unum tamen est quod hoc casu hodie in isto Regno imponitur sibi poena extractionis dentium: ita disponit *lex 3. tit. 4.*

Foro legum, quæ tamen esset servanda in locis ubi de consuetudine servatur. Similiter etiam tenetur poena falsi testis, qui accepit pecuniam etiam pro veritate dicenda: textus est notabilis in *leg. 1. vers. Sed & si quis, ff. ad leg. Corneliam, de Falsis: & ibi notat & commendat Bartol. & communiter DD. cujus ratio est, quia ille qui tenetur aliquid facere gratis, si pro eo recipiat pecuniam, turpiter recipit: ut in *leg. 1. & 2. Cum simil. ff. de Condit. ob turp. caus.**

11 Quartò committit quis falsitatem quando dolosè & fraudulenter mutat sibi nomen, vel cognomen causâ alium decipiendi: textus est in *leg. Falsi nominis, ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, cujus verba sunt: Falsi nominis, vel cognominis asseveratio poena falsi coercetur: & ibi notat Bartol. & communiter DD. & jam vidi de facto quod quidam creditor non habebat nisi unum testem contra debitorem pro quodam debito probando, & illum induxit, ut deponeret in causa, expresso nomine proprio: & postea iterum & secundò mutatis vestibus & mutato nomine deposuit, ut sic creditor obtineret, & punitus fuit poena falsi.*

12 Quintò committit quis falsitatem quando mensuras publicè signatas vel approbatas corruperit, licet hoc casu mitiori poena puniretur? Quia condemnatur in duplum ejus damni quod incurrit ille qui eum eo contraxit, & per tempus in exilium datur, textus est in *leg. penult. ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, text. in leg. Annonam, ff. de Extraord. crimin. text. in leg. Arbitrio, §. de Eo, ff. de Dolo, & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. textus in *leg. 7. tit. 7. part. 7. text. in leg. 1. tit. 10. lib. 3. Foro leges, ubi vide bonam Gloss.**

Sextò committit quis falsitatem, quando fecit pactum suppositum: textus est in *leg. Qui falsam, §. 1. ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, text. est in leg. lex Cornelia, eodem tit. text. in leg. 1. Cod. eodem tit. text. in leg. Hi tamen, vers. Nam & filius, ff. de Accusat. in leg. 3. tit. 7. part. 7. per quæ jura apertè venit reprobanda sententia Innocent. & aliorum DD. in cap. Quia verisimile, de Præsumpt. & Abbat. Felin. & aliorum in cap. Asserte, eodem tit. ubi dicebant quod hoc casu imponitur poena mortis: quia certè non imponitur nisi poena falsi, quæ est longè minor, ut statim proximè dicam.*

13 Item adde quod regulariter in hoc crimine falsi poena est deportatio, & omnium bonorum publicatio: & hoc in libero homine, in servo verò est poena mortis: textus est in *leg. 1. §. fin. ff. ad legem Corneliam, de Falsis, cujus verba sunt: Poena falsi vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio: & si servus eorum quid*

admiserit, ultimo supplicio affici jubeatur: text. in §. Item *lex Cornel. de Fals. Instit. de Public. judic.* Adde tamen quod cum hodie ista poena non possit imponi: quia nulla Civitas, vel jurisdicatio habet insulas in quibus ista poena practiceretur: Item etiam nec regulariter hodie habeat locum confiscatio omnium bonorum pro delictis, ut in *Authent. Bona damnatorum, Cod. de Bonis præscrip.* quod in isto delicto falsitatis & simili imponitur hodie in isto Regno poena arbitraria, secundum qualitatem delicti & personarum, argumentum textus notabilis in *leg. Hos accusare, §. Omnibus, ff. de Accusation. ubi habetur quod quando poena imposita à lege non potest cadere in aliqua persona ex aliqua causa, imponitur per judicem poena arbitraria: textus in *leg. Hodie, ff. de Pœnis cum similibus, & in expresso isto fundamento & consideratione ita tenet Gandin. Doctor antiquus, in tractatu ma. in tit. de Falsariis, col. 4. vers. Sed cum hodie, ¶ sequitur Gregor. in leg. 6. tit. 7. part. 7. verbo: Desterrado. Clar. lib. 5. Sententia, num. 31. ¶ notabilis. & meliùs quàm alibi Alber. de Rosat. in leg. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de Falsis.**

Item adde quod in hoc delicto falsitatis non admittitur appellatio: textus est in *leg. 1. Cod. de Falsa moneta, vers. Appellandi, cujus verba sunt: Appellandi etiam privato licentia denegatur; text. in leg. 2. ejusdem tit. in verbo illico, licet illa jura possent intelligi in delicto qualificato falsæ monetæ, non verò in alio delicto falsitatis: & istud videtur verius, & tenendum.*

Dubium tamen maximum est circa praedicta, si judex qui tulit falsam sententiam, vel tabellio qui fecit falsum instrumentum, vel testis qui dixit falsum testimonium, dicant & affirmant in articulo mortis eo, falsitatem commisisse, an talis confessio legitime probet? Et breviter & resolutivè dico quod non: ita probat textus in *leg. Si quis in gavi, §. Si quis moriens, ff. Ad Syllan. & ibi expressè tenet Bartol. Alber. Angel. Bald. & communiter DD. textus in *leg. Generaliter, Cod. de Non numerat pecun. & ibi tenet Bartol. fin. col. in fin. textus notabilis in leg. fin. ff. de Probat. text. in leg. Scia, ff. ad Velleian. & ibi Paul. text. in leg. 1. §. Si quis filium, ff. de Carbon. edicto, text. in leg. Mater, Cod. de Calumnia, & tenet Bald. in *Authent. Si dicatur, Cod. de Testibus, penult. col. Salicet. in leg. Qui falsa, ff. de Testibus, Jason in leg. 1. ff. de Eo per quem factum est, idem Jason in leg. Jusjurandum, §. Procurator. ff. de Jurejur. num. 25. Felin. in cap. Litteras de præsumptionibus, cujus ratio est, quia tendit in præjudicium tertii. Item etiam quia non deponit solemniter in judicio: ita dicit Bald. in *dict. Authent. Si dicatur, Cod. de Testibus,****